



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P X I X.

Sic ego, Domine, fornicabar abs te, atque ibam de amore in amorem, hoc est, de præcipitio in præcipitium, de abyſſo in abyſſum. Nam, quoties acrius vehementiusque curis ac sollicitudinibus opprimerer, quas amor habet adjunctas, ad eas propulsandas præclarum mihi hoc remedium comparaveram. Novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavum clavo, ejiciendum depellendumque curabam. Quocirca nulla erat fovea, quo non irumperem; nullus laqueus, quo non induerer; nullum lutum, quo non immergerer, interdum etiam, ira aut libidine stimulante, circuibam civitatem; impudicarum domos, tanquam lanienas & cauponias, obibam ut canis: denique, non minus quam filius ille effusus ac contumax, cupiebam saturari filiquis porcorum; nec poteram.

C A P. X X.

Quid ergo erat reliquum, nisi ut ires ad ea, quibus, maxime apud me, te valere sentiebas? videlicet ad verbera atque flagella. Humilis nimirum animus ac servilis, nisi malo coactus, recte facere nescit. Sed, quo me gravius affligeres, percussisti matrem meam; vel potius percussisti me in matre mea dulcissima. Nam tu scis, Domine, quam ea fuerit cordi meo cara; cujus vitam vita mea redemisssem; longe enim erat æquius, illam vivere, quæ, jejuniis & orationibus tibi dedita, legem tuam custodiebat, quam me, qui nullam fere horam